

quamcitissime subvenirent. His accedebat, quod paulatim 1527
opinio de foederatorum conatibus, ac viribus elanguesceret,
atque Regum animi ad Pontificem sublevandum, ad Italiam
servandam incitati, hac mora, temporisque frustatione pri-
stini nonnihil ardoris remissuri viderentur. Quocirca in sen-
tentia permanendum rati, Imperatori, & Legatis mandarunt,
ne a priori consilio Pontificis liberandi discederent, atque
cum copiis universis propriis ad urbem accederent; hoc uno
præteritæ Romanæ clavis memoriam deleri, ac foedus in pri-
stina dignitate retineri arbitrati. Ac sane ardor ille, qui ini-
tio Duces, ut Clementi subvenirent, incitaverat, restinctus,
atque consopitus omnium civitatis ordines ita inflammave-
rat, ut non modo in Viturium Legatum probra, atque con-
vicia; verum etiam in Urbinatem jacerentur: quæ causa
fuit, ut Viturium magistratu abdicatum Senatus in jus vo-
caret, reumque apud capitales Triumviros ficeret. Sed mo-
ra, & cursu temporis lenita indignatione, cum ea, quæ di-
xisset, ac gessisset, non exiguis inniti rationibus compertum
fuisse, in judicio absolutus fuit: Urbinati autem denuo a
Senatu imperatoria dignitas per biennium delata, ipse cum
suis ditionibus in Reipublicæ tutelam receptus, qui ut in
Venetos fidei testem, atque obsidem daret, conjugem, &
filium Principem Venetas missos, Muriani degere jussit. Ea
res cum pergrata Senatui fuisse, literis amore, & bene-
volentia refertis in sententia confirmavit, laudibus extulit,
atque in illius virtute, & fortitudine spem omnem felioris
fortunæ sitam esse amplissimis verbis significavit.

Interea Pontifex vel captivitatis tædio affectus, vel moræ
foederati exercitus pertæsus, nutare cœperat, ac se a pacis
conditionibus cum Hispanis minime abhorre præferebat,
quibus ex Clementis abjectione, & metu, nostrorum cuncta-
tione adeo excreverant animi, ut Pontificem una cum Car-
dinalibus, & quidquid in arce esset, libere sibi dedi flagita-
rent: ad hæc quadringentorum mille aureorum summam pe-
terent, atque in Hispaniam illum se missuros jactarent. Lite-
ras ad Urbinatem, atque ad Salassiorum Ducem Clemens de-
dit, quibus ut tuto Neapolitano Proregi Romam proficisci-
di facultas daretur, postulabat: id ultro concessum, neque

*Mandata
ad Urbina-
tem & le-
gatos, ut
ad urbem
accederent.*

*Convicia
in Viturii,
& Urbina-
tem Vene-
tiis jaæta,
& Viturius
in jus vo-
catus.
Joannis
Vituriis ab-
solutio.
Urbinas co-
piarum im-
perator a
Venetis cœ-
firmatus.
Urbinas cœ-
jugem & fi-
lium Vene-
tias mittit.
Senatus li-
teræ ad Ur-
binatem.*

*Clemens
animum ad
pacem fle-
xit.*

*Clemens
Proregi fa-
cultatem
Romam pro-
ficisciendi a
foederatis
obtinet.*